

ipse scripsit, intelligimus: non de primis discendi initiis hæc debere accipi; sed de progressu in eadem lingua. Fatetur enim hic: quum „intimam rationem resolvendi Sinensium characterismos ante hoc „tempus ignorasset: *Kircheri China illustrata* visa, ex Part. VI. c. 4. de non „paucis se haud infeliciter conjecturam fecisse. Nauctum se fuisse hu- „jus generis characterismorum Amstelodami, tredecim annis ante, a „quodam *Job. S. Moro* haud contemnendum apparatus: eosque, ut „tum se polluisse memoria dicit, in promptu ac numerato habuisse; „ut & a schedularum seu chartarum quarundam interpretatione qua- „licunque haud abstineret. Augmentum non exiguum accessisse de- „inde e *Monumento Sinico China illustrata*. Quod utcunque se affecutum „in forulos retulisse: non alia causa motum, nisi sola curiositate & af- „fectu in literas Orientales. Fortasse non est sine causa non neminis, quo familiariter usus est *Mullerus*, conjectura; in literis, quas de eo ad amicum scripsit: videri eum fundamenta linguæ Sinicæ a *Johanne VVilckins* in Anglia accepisse. Erat is vir magnæ eruditionis, & Societatis Regiæ membrum, & Sinicæ linguæ studiosus. In qua primus is *versionem Orationis Dominica* in opere de *Reali caractere & Lingua Philosophica*, & ab eo secundus *Mullerus* publico dedit. Anno vero quinto post, quo ad *Somnizium* ea scribebat, de quibus diximus paulo ante: jam „audere se, ait, aliis rationem legendi & intelligendi Sinica longe fa- „ciliorem, quam ullius linguæ, tradere. Atque in *Hebdomade* ipsa, quam tum *Somnizio* obtulit, in *Comment. de Monumento Sinico* p. 12. ait: „Ego „vero, si mihi tam certa esset stipendii, officii, & Ecclesiasticæ pacis ratio; quam certa quidem Sinicarum notarum lectio est: intra annum, „Deo dante, ne mensem dicam, aut minus aliquod tempus, præstari „posse confido; ut mulierculæ etiam Sinicos & Japonicos legant libros, & si Hermeneuticæ regulas nossent, interpretari queant. Statuebat autem, quod characteribus Sinensium non voces magis, quam res ipsæ statim significantur: & disci eos sine Sinicarum & vocum & linguæ cognitione, & legi posse, Latina, Germanica, aut quacunque alia, cui quisque assueverit, lingua. Eaque ratione ad commercia cum Sinis viam quam maxime expeditam esse patefactam. Atque hæc quoque in celebrata illa *de Clave Sinica Propositione* fieri posse tradit: quam circa idem tempus edidit. Eam anno clō lōc LXXXV. *Disquisitioni de Eclipsi Passionali* subjunxit quintum recusam: retento tamen anno & die, quo primum prodierat; die nempe XIV. Februar, aō, clō lōc LXXIV. Ve-